

EMBLEMA XLIX.
IN PRINCIPES VERI OSSORES.



En Præjaspidis, furentis arcu
Regis, procubuit tenellus infans.
Multo tunc etiam madens Lyæo,
Objectum sibi vendicat Tyrannus
Per patrem vitium, hoc sati cruore
Regi est optima veritas amara.

COMMENTARIUS.

Inmensi prope laboris esset, si omnia, quæ in bonis Consiliis, & Consiliariis Principum requiruntur, peculiari commentatione persequi vellem. Sed quamvis alia apud alios legenda relinquam, illud præterire non possum, parum vel nihil utrosque hac in parte proficere, nisi Consiliarii in suis suffragiis veritatem semper præ oculis habeant, omnibus affectibus anteponant, & quæ decet libertate proferant, & defendant, proculque, ut alibi Tacitus (a) inquit, ab ira, à metu, àdulationibus, vel æmulationibus absint: & Principes, quibus consulunt, pariter, eandem ab eisdem audire desiderent, nulloque animi motu, imò nec nutu, suffragantium libertatem impediunt, quin potius, ut Isocrates (b) monet, Nicoclem: Fideles existiment eos non qui quidquid, aut dicant, aut faciant, laudent; sed qui delicta liberè accusent.

2 Est enim Veritas, ut Philosophi (c) finiunt: Rerum quæ divinitus sub animum cadunt, qualitas essentialis, & rei ad intellectum adæquatio, justitiæ annexa. Et hac propter candorem amat, latebras odit, fucos horrescit, aditus patentes querit, libera est servire nescit, aliena umbra tegi non vult, suo lumine delectatur, cum servili ignavoque hominum genere commercium non habet, solis liberis, & speculantibus prestèd est.

3 Eamque tanti Pythagoras fecit, ut Aliano (d) teste, dicere solitus esset: Duo divinitus hominibus data esse longè pulcherrima: veritatem amplecti, & aliis benefacere; & addebat, utramque cum Deorum immortalium operibus comparari posse, sive Deo similes homines facere.

4 Quod neque alios Ethnicos latuit, qui, ut Lilius Giraldus (e) scribit, illam Deam existimabant, & sub Græco Aethiæ, nomine, virtutis matrem effingebant, Saturni, sive temporis, imò & ipsius Jovis Olympici filiam facebant, peculiaribusque aris, & simulachris, illius justitiæ, & necessitatem significantibus, colere, ac donare solebant.

(a) Tacit. *Annal.* lib. 12. cap. 59. (b) Isocrat. *ad Nicoclem.* (c) Arist. 2. *Metaph.* Cicer. in *Rhetor.* Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 109.

(d) Alianus lib. 12. *de var. histor. capit.* 59. Stob. *sermon.* 11. Maxim. Tyr. *serm.* 8. hoc Demostheni tribuit.

(e) Girald. *de Diis Gent.* *synt.* 1. pag. 26.

5 Cujus sanè amor, cultus, & observatio Principibus viris, eorumque Consiliariis præceteris convenit, vel ex eo, quod majori ceteris dignitate præfulgat, vel quòd hac virtute submota, & in poteo, ubi eum Democritus, & ex eo Lactantius (f) latere dixit, relicta, nihil ex tanti muneris debito præstare ullatenus possint.

6 Quod satis expressit vetus illa pictura, quæ, ut ex Diodoro Baptista Leo (g) recenset, in Sepulchro Simandii quondam insculpta, & inventa fuit; Judicem nimirum, & Primum conventum representans, sacris indumentis vestitos, ex quorum collo d pectus pendebat suspensa veritas, clausis subnutans oculis, forma quidem pulcherrima, culti tamen simplici, licet splendido, & qui stellarum fulgorem imitari videretur, prout & Hippocrates (h) eam alibi depinxisse conspicitur.

7 Ad quod Egyptii quoque alludebant, dum simili modo, ut Alianus (i) inquit, summus Sacerdos, qui & Supremus erat Judex, gestabat collo appensam iaginem ex Saphiro, quæ appellabatur Veritas, apertissime expressam, ac delineatam. Et Hebræi dum in Summi sui Sacerdotis Rationali, quod tot tantisque lapidibus, & mysteriis plenum fuisse, in sacra Pagina (k) legimus, nobilis gemma in medio pectore portabatur, cui hæc vèba à Deo inscribi sunt jussa, *Urim, & Thummim*, quæ Latine *Doctrinam, & Veritatem* significant, sic nobis indicare volentes (ut latè ex sanctis Patribus Cornelius à Lapide (l) probat, & explicat) tum in ore Summorum Principum, ac Magistratum veritatem esse debere, ipsisque interpretationem, & tutelam veritatis publicæ, id est, justitiæ convenire.

7 Quæ secundum Agesilaum, à Plutarcho (m) relatum, multo magis Republicam commendat, quàm fortitudo; cujusque tanta vis est, ut verè Cicero (n) de ea dicere poterit: *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fectas hominum insidias facilè se ipsa defendat, multorum improbitate depressa emerat, & in defensionem innocentium interclusa respiret.*

9 Et in Esdræ (o) libro legamus trium Juvenum corporis Regis Darii custodem, super re, quæ fortior, & magis invicta esset, certamen, in quo tertius tandem victor evasit, qui pro veritate pugnans, ostendit, eam vino, Rege, & muliere, esse longè fortiorem, quia *Manet & invadescit in æternum, & vivit, & obtinet in secula seculorum. Neque est apud eam accipere personas, neque differentias: sed quæ justa sunt facit omnibus, justis, ac malignis, & omnes benignantur in operibus ejus. Et non est in judicio ejus iniquum, sed virtutis, & Regnum, & potestas, & majestas omnium eorum. Benedicthus Deus veritatis.*

10 Unde meritò Arrianus (p) scripsit: *Non debet Rex erga subditos suos, alius quàm verax esse: neque quisquam subditorum aliter affectus esse debet, quàm si Regem veracem esse credat. Verèque Salomon (q) dixit Princeps qui libenter audit verba menacii, omnes ministros habet impios. Ideòque Deum alibi (r) orat, ut vanitatem & verba mendaci longè faceret ab ipso.*

11 Et in Aristæa (s) libro refertur, quòd cum Ptolomæus Phadelphus Ægyptiorum Rex, à septuaginta duobus Sacra Scriptura Interpretibus, quos in unum congregasset, inter alia quaesisset, quomodo veritatem coleret, & diligeret? Hoc ab illis reponsum accepit: *Si statuas, quòd magnum dedecus omnibus hominibus sit mentiri: multoque majorem notam Regibus injurat: nam quando potestatem habent, quòd volunt faciendi, cujus rei gratia merientur? deinde, si etiam consideres, quòd Deus veritatis amator existit.*

12 De Juliano etiam Imperatore (impio: quamvis & sacrilego principe) Ammianus Marcellinus (t) enarrat, quòd levitatem agnoscens commotioris ingenii sui, Præfectis proximisque suis permisit, ut fidenter ei vera consulerent, & impetus suos aliorum tendentes, ad quæ decebat, motu opportuno frangerent. Et Isocrates (u), Nicoclem Regem hrtatur, ut adèd per omnem vitam veri amator, & observator appareat, ut suis dictis potius habeatur fides, quàm cæterorum jurijurando.

13 Quòd dictum ornari potest ex aliis, quæ jam alio (x) in loco retulimus, & longè præstantius ex Potentissimi, ac Præstantissimi Regis, ac Domini nostri Philippi IV. verbis, in laudato illo Decreto prolatis, cujus jam sæpè mentionem fecimus, bi se hujus doctrinæ eximium Monitorem, atque Amatorem ostendens, eandem suis Consiliariis his enixis verbis commendavit: *En tercer lugar os mando con toda precision, que sienpreme tratis verdad lisamente,*

Nu 2

(f) Lactant. 3. *instr.* cap. 28. & alii apud Erasm. in *Adag.* Veritas in profundo, pag. 453. (g) Baptist. Leo lib. 7. Girald. *di.* pag. 26. (h) Hippocrat. in *epist.* ad Philopamen. (i) Alian. lib. 14. cap. 34. (k) Exod. cap. 28. 30. & seqq. (l) Cornel. à Lapide. in *di.* cap. 28. Exod. (m) Plutarco. in *Apoph.* Agesil. (n) Cicero. in *orat.* pro M. Cati. & in *orat.* pro Cluen. & in *epist.*

(o) Esdr. lib. 3. *cap.* 3. & 4. (p) Arrian. *de reb. Alexand.* (q) Proverb. 29. (r) Proverb. 3. (s) Aristæas cap. 9. Midendorp. *ex eo in quæst. Polit.* pag. 149. (t) Ammian. Mael. lib. 22. in *Codice Lindenberg.* pag. 239. (u) Isocrat. in *ost. Parænet.* ad Nicoc. (x) Sup. Emblem. 28. in *fine.*

ante os parezca que sea en cosa contra mi gusto; que aunque estoi cierto, que si Dios no me dexa de su mano, lo no le tendré en nada, que sea contra lo que os digo, como hombre puede ser que falte en algo. I para este caso es, quando mas he menester que mis Ministros me hablen claro, i no me dexen errar &c.

14 Ceterum quoniam nimia multorum Regum potentia in impotentiam superbiamve conversa, ita ab hac Veritatis observatione, & dilectione, qua potissimum splendere debebant, omni tempore deviauit, ut nulla magis virtus ab eorum aulis exulet, nullosque majori odio persequi soleant, quam eos, qui veritatem amantes, veri aliquid, suis vitiis, delitiis, iudiciisve contrarium, ipsorum auribus suggerunt. Unde hanc lucem Dacemque omnium bonarum actionum, longè à suis Palatiis fugarunt, meritò summus quidam ex ipsis Principibus dicere potuit (y):

Fugit Potentium limina veritas,
Quamquam salutis mortia.

15 Et Seneca (z), eorum in summa opulencia huius eximia virtutis indigentiam, & damna, quæ inde proveniunt, his verbis misereri, dignis quidem, ut ne dum æneis, sed aureis literis inscribantur: *Omnia sanè excluserit opulenta felicitas; monstrabo tibi, cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit. Scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter menciētes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à consensu concentuque falsorum. Non vides quemadmodum illos in præceptis agat ex tincta libertas, & fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque, sed adulandi certamen est, & unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissimè fallat? Ignorare vires suas, & dum se tam magnos, quam audiunt credunt, attrahere supervacua, & in discrimen omnium per ventura bella: utilem & necessariam rupere concordiam: secuti iram, quam nemo revocabat, multorum sanguinem hauserunt, fusuri novissimè suum, dum vindicant inexplorata pro certis, flectique non minus existimant turpe, quam vinci, & perpetua credunt quæ in somnum perducta, maximè nutant. Ingentia super se, ac suos Regna fregissent, neque intellexerunt, in illa scena, & vanis & citò diffluentibus bonis resurgente, ex eo tempore ipsos nihil non adversi expectare debuisse, ex quo nihil veri audire poterunt.*

16 Hactenus Seneca, qui pro multis sufficere poterit, qui ad eandem Veritatis ab aulis Principum exulantis, atque ejulantis, comprobationem, adduci facile possent. Sed non est omitendus Galenus (a), cuius insignem locum nostro Eusebio Noriemburgio debere me fateor, qui cum hominum mores, & humores ex eorumdem actionibus, atque occupationibus dignoscendos conjectandos esse, ostendere vellet, illos minimè veraces judicari posse inquit: *Qui apprime Potentium, aut etiam Principum, ac Tyrannorum ades frequentant. Obsequia quippè istius modi, mendacium sequi consuevit, quisquis enim huiusce generis vitam sibi sequendam proposuit, non solum non verax esse consuevit, sed etiam omnem militiam habere necessario, &c.*

17 Quod sensit etiam Ludovicus XI. Francorum Rex, quem ferunt (b), aliquando dixisse, se sua in aula rebus omnibus, una excepta, abundare, interrogatusque, quæ illa? *Veritatem esse, respondit. Joannes Sarisberiensis (c), dum ait: Inter omnia quæ viris solent obesse Principibus, nihil perniciosius esse arbitror, quam quòd eis fortune blandientis illecebra aspectum subtrahit veritatis. Et Epigrammatarius Anglus (d), qui non minus sciè Regum statum ob hunc veritatis defectum hoc carmine aperuit:*

Dum non vult alter, timet alter dicere verum
Regibus. O miserum Regis in orbe statum.

Adde Am. Marcel. (e) *Hæc autem, & similia, altiore fastu quidam Principes agunt, quod amicis emendandi secus cogitata, vel gesta, copiam negant: inimicos loqui terrent amplitudine potestatis: nulla vacat pravitate apud eos, qui quod volunt, maximas putantes se virtutes.*

18 Nos autem, ut Christianos, cum quibus loquimur, Reges, Veritatis, quæ Christum refert, amatissimos efficiamus, & damna, quæ ex odio, vel despectu adeò necessariæ Regiæque virtutis proveniant, velut in speculo, sub aliorum exemplis, præsentemus, hoc Emblemata intuentium proponimus, ex Cambysis Persarum Regis, & Præjaspis, ei carissimi historia deductum, quam post Herodotum (f) Petrus Crinitus (g), & alii (h) latè recenserit, & Seneca (i) ita graviter perstrinxit, ut ipsius verbis illam exponere valdè conducere existimem, quæ sic habent: *Cambysen Regem nimis deditum vino, Præjaspes, unus ex carissimis, monebat, ut par-*

(y) Maff. Barbarin. postea Urban. VIII. Pont. Max. in suis carm.

(z) Senec. de benefic. lib. 6. cap. 30. refert & extollit Lips. in Polit. lib. 3. cap. 5. in notis.

(a) Galen. in Method. apud Euseb. in Theopoli. 2. part. lib. 2. cap. 7. pag. 441.

(b) Patric. de histor. Dial. 5. Beyerliac. in Apoph. Christ.

(c) Sarisberiens. in Policrat. lib. 3. cap. 6.

(d) Ouen. lib. 2. epig. 132.

(e) Ammian. Marcel. lib. 27.

(f) Herod. lib. 3.

(g) Crinit. lib. 6. cap. 2.

(h) Fulgos. lib. 9. cap. 5. fol. 327. Theat. lit. V.

(i) Camer. cent. 1. cap. 90. pag. 421.

(j) Senec. lib. 3. de Ira, cap. 14.

cus biberet: turpem esse dicens ebrietatem in Rege, quem oculi omnium aurusque sequerentur. Ad hoc ille: ut scias, inquit, quemadmodum nunquam excidam tibi, approbabo jam, & oculos post vinum in officio esse, & manus. Bibit deinde liberalius, quam alias, capaciorebus scyphis: & jam gravis, & temulentes, oburgatoris sui filium procedere ultra limen jubet, alleuataque super caput sinistra manu stare. Tunc intendit arcum, & ipsius cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit, recisique pectore, hærens in ipso corde spiculum ostendit, ac respiciens patrem, ansatis certam haberet manum? At ille negavit Apollinem potuisse certius dimittere, &c.

19 Pergit statim Seneca, hunc Regem *cruentum* appellans, & dignum, in quem omnium suorum arcus verterentur, cum odio veritatis tam immane facinus perpetraverit: sed nec minùs Præjaspem reprehendens, quòd ejus rei laudator fuerit, quam si in amanda, ut cœpit, veritate persisteret, increpare debuisset, etiam si in se alterum ejusdem Regis jaculum, & certiorum manum revocaret.

20 Accessit hic itaque ad eorum numerum, qui suis cladibus ostenderunt, quanti constant Regum amicis bona consilia, à quibus id totum facile potest effici, quod illis libitum sit. Et ad eundem, idem Seneca (k) Harpigum refert, cui Astyages filium epulandum apposuit? & subinde quæsit, an placere conditura? Illiusque caput jussit afferri, licet Herodotus (l) aliam fuisse hujus tragædiæ causam commiscatur.

21 Planè Callisthenus Philosophus, Alexandro Magno familiaris, ob hanc ipsam, de qua loquimur, perit; nam illum Alexander, quia nunquam assentantium accommodatus ingenio erat, & libere adorationis Persicæ morem interpellavit, conjurationis conscium esse criminatus, truncatis membris, abscessisque auribus ac naso, labiisque deformatum, cum cane in cavea clausum, circumferri jussit, diuque tortum, ut *Quintus Curtius (m), & alii (n) latius recensent*, tandem necavit. Quam crudelitatem ita exagerrat Seneca (o), ut omnibus Alexandri gloriis, atque victoriis officere, his elegantissimis verbis scribat: *Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quotiens quis dixerit, Occidit Persarum multa millia, opponetur, & Callisthenem. Quoties dictum fuerit, occidit Dariam, penes quem tunc magnam Regnum erat: opponetur, & Callisthenem. Quoties dictum erit omnia Oceano tenus vicit; ipsam quoque tentavit novis classibus, & Imperium ex angulis Thraciæ usque ad Orientis terminos protulit: dicitur, sed Callisthenem occidit. Omnia licet antiqua documenta, Regumque exempla transierit, ex his, quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam scelus Callisthenes.*

22 Idem quoque Alexander (p), Clitum, etiam temulentes, spiculo trajecit, quòd in convivio quodam liberius in Persicos amores invecus fuit, & Calandri caput vehementer ad parietem contudit, quòd cum barbaros venerabundos illum salutantes conspexisset, ut in libertate innutritus Græca, atque ad hujusmodi spectacula hæctenus insolens, in cachinum effusus est.

23 De Philoxeno quoque Poëta Lyrico memorat Suidas (q), quòd cum aliquando apud Dionysium Tyrannum ageret, tragædiasque ejus, in quibus ille ambitiosissimus erat, minimè laudaret, in latomias conjectus fuit, indeque Tarentum aufugit. Dionysio verò, eum per literas revocare conanti, hoc tantum monosyllabo *Non* sæpius iterato, respondit.

24 Similibus exemplis Veritatis Principibus exossæ, & punitæ, Sacræ Literæ scitent, in Saule occidente prophetas, Josaphat adversus Michæam excandescente, Esaia in duas partes dissecto, Jeremia lapidibus obruto, Amos veçte per tempora transfixo, & in Herode, Divum Joannem Baptistam ob reprehensum incestum decapitante (r). Sicque etiam Darius Charidemum, Philippus Macedo Aratum, Ægyptius Philadelphus Sotadem, Perseus Euctum, & Eudemum suo ætario præfectos, Cajus Silanum, & Macronem, Adrianus Apollodorum nobilem Architectum, Caracalla Papinianum, omnium Juris-consultorum facilem Principem (s), Theodoricus Gothorum Rex, Severinum Boëtium, & Symmachum ejus socerum, Sigibertus Occidentalium Saxonum in Anglia Rex, Cumbranam, Selymus Turcarum Imperator, Chendemum Bassam, & alii alios, diversis temporibus variis supplicis affecerunt, de quibus, qui copiosam nomenclaturam, Camerarium (t), Arnisæum (u), Schombornerum (x), Beyerlinchium (y), & Saavedram nostrum (z) adire poterit.

25 Dum modo interim insignem illum Angliæ Cancellarium Thomam Morum non præreamus (a), qui, quòd adversus Henrici VIII. nova & perversa in Anglia dogmata, pro Fide Catholica, Romanæ Sedis veneratione, & contra interdictum, incestuosumque Annæ Bolonæ matris

(k) Senec. dist. lib. 3. cap. 15.

(l) Herod. lib. 1. pag. mihi 68.

(m) Curt. lib. 8. cap. 16.

(n) Artian. lib. 4. Valer. lib. 7. cap. 2. & lib. 9. cap. 3.

(o) Senec. lib. 6. natur. quest. cap. 23.

(p) Curtius lib. 8. cap. 2. Plutarc. in Alex.

(q) Suidas verb. Philoxenus. Girald. hist. Post. lib. 9.

(r) Paralip. cap. 24. 3. Reg. 22. Matth. 14. Marc. 6.

(s) M. Marull. lib. 4. cap. 4.

(t) Camer. cent. 1. cap. 90. fol. 421. & cent. 3. cap. 56.

(u) Arnis. lib. 1. doct. Polit. cap. 15. fol. 355.

(x) Schomb. lib. 3. Polit. cap. 24.

(y) Beyerlinch. in Theat. verb. Reprehensio, pag. 315.

(z) Saaved. Empres. 48. pag. 318. & seqq.

(a) Jovius in Elog. hom. Doct. Surtius in hist. sui Temp. Ribad. in Schism. Ang.

trimonium, pugnavit, post longi carceris tedium, cum nec promissis, nec uxoris liberorumque blanditiis, à sententia removeri posset, tandem capite plexus fuit, ne latius Cardinalis Capuanus in ejus vita recenset, & Epitaphium, quo à Joanne II. Hagiensis donatus fuit, dignum quidem, ut hisce nostris lacerationibus inseratur:

Quis jacet hic? Truncus, cujus caput ense recisum est,
 Quae nat in tetro sanguine canices?
 Hinc iste ille Thomas Morus: sic fata rependit.
 Tristia multa bonis, & bona multa malis.
 Quae circumstant Divae lugubre cadaver?
 Diva tenax veri, Sancta, Fides, Nemesis,
 Quarum prima fuit causa, & fuit altera mortis.
 Ulrix injuste Tertia caedis erit.

26 Prava hæc igitur & vesana malè moratorum Principum consuetudo, qui, ut quidam dixerit, plus sæpè, ne dicam semper, Placentiam solent, quam Veronam amare, & cum Salomone (b) monente: Consilium audire deberent, suscipere disciplinam, labia justa habere, eosque, qui recta loquuntur, diligere, illos potius odio habent, & suppliciis afficiunt, effectit, ut hac pretiosa gemma careant, quæ præcipuè eorum tempora ornare poterat, & debebat, & ut pauci sint, qui nudam eis veritatem, quam minùs gratanter audituros verentur, sine furo & lenocinatione proponere audeant.

27 Aded, ut Seneca (c) tradat, vel ipsum Augustum Casarem (quem tantopere doluisse Agrippæ, & Mecænatis mortem, qui ei vera suggererant consilia, Suetonius (d) scribit) forsitan si diutius vixissent, æquali ceteris, de quibus egimus, exitu multaturos: Non est (inquit) quod existimemus Agrippam & Mecænatem solitos illi vera dicere, qui si vixissent, inter dissimulantes fuissent. Regalis ingenii mos est, in præsentium contumeliam amissa laudare, & his virtutem dare vera dicendi, à quibus audiendi periculum non est.

28 Unde fortè Sanctus Jobus (e), dum se ad loquendum & disputandum cum Regibus præparabat, tot se cautionibus communit: Audite, quæso, sermones meos, & agite penitentiam, sustinete me, & Ego loquar, & post, mea, si videbitur, verba ridete, &c. Et Moyses, dum loqui ad populum jussus fuit (f), nullam excusationem adhibuit, ubi verò ad Ægyptium Regem Pharaonem cum legatione mendatur, se in circumcisum labiis esse proponit, & à Pharaone vocem suam exaudiri non posse causatur.

29 Et ipsum idem in causa fuisse videtur, ut Michæas Regi Achab, Ælisæus Banadabo, Daniel Nabuchodonosoro (g), & si à Deo electi probatique Prophetae essent, non nisi post longam moram, variumque circuitum, veritatem manifestaverint, sciebant enim eam esse Principum conditionem, ut quamvis vera sibi nuntiari, poscere videantur: Videntibus tamen (ut Isaias (h) ait) dicunt, nolite videre, & aspicientibus nolite aspiciere quæ refta sunt, loquimini mihi placentia.

30 Quod non latuit Agathonem dum apud Athenæum (l) ab alio Rege similiter rogatus sententiam dicere, prius ejusdem animum ita tentavit:

Si vera dicam tibi voluptati aut ero,
 Si sim voluptati haud tibi vera dixerò.

Et Demaratum, apud Herodotum (k), qui cum à Xerxe in expeditione contra Græcos sententiam dicere jussus esset: Vera (inquit) apud te, Rex utar, veritate ne, an jucunditate?

31 Qua de causa Plutarchus (l), Solonem Cræso dixisse narrat: Cum Principibus, aut modice, aut jucunde agendum; & ita malè etiam Christiani Principes ob hoc vitium apud Paganos audierunt, ut Martinus Delrius (m), post Michaelæm Palacium, recenseat, quod cum Monachus quidam Martyrii amore succensus ad Soldanum abiret. Ab hoc rogatus: Quorsum venisset? Respondit: Ut mortem inveniam, veritatem tibi predicando. Tunc Soldanus: Ito ad Principes tuos, prædica illis veritatem, & mortem, quam apud me queris, apud illos invenies.

32 Quod ipsum sentiens, & dolens Petrus Gregorius Tholosanus, eorum conditionem deplorat, quod multos ministros habeant, qui iis omnium ferculorum copiam ad mensam afferunt, nullus autem sit, qui ferculum veritatis afferre audeat.

Cu-

(b) Proverb. 16. 14. & 19. 2.

(c) Senec. lib. 6. de benef. cap. 32. in fin.

(d) Suet. in August. cap. 66.

(e) Job. 21.

(f) Exod. cap. 6. 31.

(g) 3. Reg. 22. 4. 8. Daniel. 4.

(h) Isaias 30. 8.

(i) Athenæ lib. 5.

(k) Herod. lib. 7.

(l) Plutarc. in Solon.

(m) Delrius in Adag. 2. tom. pag. 508.

33 Cujus planè defectum, & indigentiam, eorum plures tandem agnovisse comperimus. Cum de Gordiano Imperatore apud Capitolinum (o) legamus Missithæo socero per epistolam questum fuisse, quòd hoc adjumento careret: Miseriunque esse Imperatorem, apud quem vera retentur, qui cum ipse publice ambulare non possit, necesse est ut audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata confirmet. Hancque sententiam, Princeps miser, quem latet veritas, pro simbolo deinceps gestasse, Sylvester à Petrasancta (p) recenset.

34 Et Constantinus Magnus, ut huic morbo succurreret, legem (q) tulit, qua precibus & præmiis subditos invitavit, ut verè ac liberè quicquid vel à se, vel à suis Palatinis malè gestum sentirent, eidem indicarent: Ipse (inquens) me vindicabo de eo, qui me usque ad hoc tempus simulata integritate deceperit: illum autem qui hoc prodiderit, & comprobaverit, & dignitatis & rebus augeto: ita mihi summa Divinitas semper propitia sit, & incolunem præstet, ut cupio, felicissima & florente Republica.

35 Carolus quoque Octavus, Gallia Rex, Ut Annales (r) illius Regni testantur, pridie quam moreretur, cubicularium suum interrogasse dicitur: Qui feret, quòd tam pauci Reges Sanctorum numero adscriberentur? Eoque tacente, respondit: Quia paucos penes se habent, qui vera dicant.

36 Et de Antiocho refert Plutarchus (s), & alii (t), quòd cum in venatione à suis aberrasset, & in casam pauperum quorundam, quibus ignotus erat, introisset, intercænandum ab eisdem, injecta Regis mentione, audiisse, quòd inter cetera quidem probus erat, sed plerasque functiones mandabat amicis, ipse ad eorum facta connivens. Tunc, quòd ipse suis satellitibus, diluculo adventantibus, enarravit, purpura, simul cum diademate allata, testatus: Ex quo hæc insignia indus, heri primò vera de me ipso audivi. Nam ut Plutarchus subdit: Hoc ferè studium est his, qui circum in aulis Principum, ne quid nisi blandum auribus audiant.

37 Ex qua fortè historia, alii quoque Principes, quos Camerarius (u), & alii (x) recensent, ansam sumpserunt, simulato habitu, se plebeis cæstibus immiscendi, & vel à simplicissimis hominibus, quod de eis sentiret populus? eruendi, quasi, Gloria sit Regum investigare sermonem, ut in Proverbiis Salomon (y) inquit, id est, ut aliqui exponunt, ea, quæ de ipsis populus dicit, vel sentit, inquirere.

38 Quod Noricus quidam Dux, cujus nomen non exprimitur, sæpè fecisse legitur, ut Georgius Sabinus (z) in quodam ex suis carminibus narrat, quod propter ejus elegantiam, & quia valde ad rem nostram conducit, hic inserere libet, & ita se habet:

Sæpè rudes inter mutata veste colonos,
 Noricus agricolæ Dux faciebat opus.

Nunc pascebat oves, nunc graminâ falce secabat,
 Vomere proscindens, nunc subigebat human.

Et simul illato de se sermone rogabat

Plurima, nempe quibus moribus ipse foret?

Justus an exigeret pœnas à sontibus ultor?

Debita conferret præmia non ne bonis?

Quærenti verò causam cur Regibus ortus

Princeps, agricolam se simularet, ait.

Me jucat è rudibus cognoscere vera colonis,

Servit adulatrix auribus aula meis.

39 Et hoc sanè medium ad veritatem inquirendam, (licet rarè exequendum) sanius mihi videtur eo, quo alii uti solent, susurrionibus, & delatoribus gratas aures præstando, vel, ut Gallus Cæsar, Marcelino (a) referente, fecisse legitur, homines quosdam ignotos, vilitate ipsa parum cavendos, per provincias dimittendo, ut rumores, qui de Principe sparguntur, colligant, & quidquid noscere possint, vel audire, ad eos latenter deferant. Quod de Mida etiam Rege aliqui, ut Erasmus memorat (b), tradunt, & quoniam per hos corycæos, vel subauscultatores, omnia audiebat, & sciebat, occasienem dedisse fabula: Ut asini aurículas habere diceretur.

40 Has quippè inquisitiones justissimè damnat Joannes Filesacus (c) Tacito (d), & Plinio Junio

(o) Jul. Capitolin. in Gord.

(p) Petrasanct. de symb. heroi. lib. 6. pag. 183.

(q) L. 4. lib. 9. tit. de accurat. in Codic. Theodor.

(r) Annal. Franc. Daroult. in Cathedra.

(s) Plutarc. in Apophth.

(t) Saaved. Id. Polit. pag. 200.

(u) Camer. cent. 1. cap. 90. pag. 418.

(x) Theat. verb. Veritas, pag. 84. Saaved. in Id. Polit.

pag. 327.

(y) Proverb. 25. 2.

(z) Georg. Sabin. in suis Poem.

(a) Ammian. Marcell. lib. 14.

(b) Erasm. in Adag. Mida aurículas asini, pag. 399.

(c) in Adag. Multa Regum aures, pag. 158.

(d) Jo. Files. 2. select. cap. 6. pag. 34.

(e) Tacit. Annal. 4.

re (e) relatis, & præclaris illis Senecæ (f) verbis: *Teterimum vitium auscultatio, & publicorum, secretorumque inquisitio, & multarum rerum scientia, quæ nec tuto narrantur, nec tuto audiuntur.*

41 Quo in numero Ego Pasquillorum (quos vocant) sive famosorum libellorum detestabilem usum habendum esse censeo, licet non desint graves aliqui Politici Auctores (g) qui illum defendant, utilenque esse judicent (plura simul de Pasquilli, sive Pasquini nomine, & antiquitate tradentes) ut vel hoc saltem modò veritas ad Principum aures nuda perveniat, & quæ in se ipsis emendatione digna notari cognoverint, in posterum reforment, atque ut est apud Demosthenem.

Calumniantium maledicta bonis factis diluant.

42 Addentes, quòd ut habet in monitis Baudius:

*Lex nulla penis sobrios sales premit,
Dum ne qua labes inferatur integris.*

Et ex Suida (h), & aliis (i), veterem fuisse apud Alexandrinos, Athenienses, & alias nationes morem, fabulas in plaustris agere à juvenibus, ore fece collito; ne possent agnosci, qui plaustris, sive curribus vestigi, totam urbem peragrabant, & ubi vellent stantes, magna licentia in obvium quemque diceria faciebant, veraque de eo, non falsa convicia de plastro caneabant; prius enim operam dabant, ut accuratè probra civium exquirerent, hæcque incorruptè proferrent, ut ob hoc omnes improbitatem aversarentur. Unde Erasmus (k) deduxit originem Adagii, de *Plastro loqui*, quòd libertas harum comœdiarum eousque progressa fuit, ut non solum civium Primates, verumetiam Deos nominatim taxaret.

43 Etenim, ejusmodi, adinventæ ad veritatem de se, vel de aliis, Principibus ingerendam, & mali exempli sunt, & periculis plena, quæ latè ab Ecclesiastico (l) recensentur, atque ut cum D. Bernardo (m) loquar: *Hanc velim generalem tibi constituas regulam, ut omnem, qui palam veretur dicere, suspectum habeas.*

44 Eaque propter melius facturos Principes arbitror, si illud Persii (n) monitum servent, *Ne te quæsieris extra, quin potius se ipsos intra se ipsos noscentes, & concutientes, ut veteri, & cœlitus misso circumfertur Adagio (o), Senecam audiant, monentem: Intus te ipsum considera, non qualis sis aliis credas, plerumque boni inepti, & inertes vocantur: tibi contingat iste de risus. Aequo animo audienda sunt Imperatorum convicia, & ad honesta vadenti, contemendus est iste contumptus.* Et tandem intelligant, veritatem esse, quæ eos Regia dignitate dignos reddere possit, & tam in se, quam in suis Aulicis, & Consiliariis, hanc ament, hanc quærant, & ita vivant, ut nihil de vulgi rumoribus, vel tumoribus vereantur, ut Drusus ille, quondam Tribunus, qui Architecto pollicenti, se ita illi domum fabricaturum, ut nulla ex parte ab aliis conspici posset, Paterculo (g) narrante respondit: *Tu verò si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quicquid agam ab omnibus prospici possit.*

45 Nullam quippè majorem jacturam facere possunt, quam si Heroicæ huic virtuti liberum ad se undecumque aditum intercludant, & dum Alerham sibi comitem respuunt Mœthanæam ejus loco sortiantur, & cum Sapiente (r) clamare incipiant: *Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortatus nobis.*

46 Quod præsertim, dum de publicis negotiis consulunt, & in Senatu, vel inter Senatores deliberant, fugere debent, cum horum prima lex sit, ut alibi Tacitus (s) inquit: *Licere Patribus quoties jus sententiæ accepissent, quæ vellent exprimere, relationemque in ea postulare, & in Senatu, etiam de rebus levibus cum libertate loqui, judiciumque animi citra damnum affectus proferri.* Ideoque Homerus (t) Diomedem Agamemnoni dicentem inducit:

*Atrida, si verba tibi nunc stulta loquenti
Acrius insistam, ne bilem traxeris ullam:
Prima etenim lex est, in catu quemque loquentem,
Dicere quæ libeat, tum libera verba profari.*

Et

(a) Plin. Jun. in Paneg.

(f) Senec. de Tranq. cap. 12.

(g) Lamb. Danæus lib. 4. Eib. Christ. Camerac. cent. 1. cap. 66. pag. 296. Bessol. in Thes. præf. verb. Pasquillus, pag. 679. Beyerlin. in Apoph. Christ. & in Thes. verb. Pasquillus. Saaved. in Id. Polit. pag. 93. & seqq.

(h) Suid. in hist. Aristophan. in Neb.

(i) Lucian. in Jove Tragad.

(k) Brasim. in hoc Adag. pag. 449.

(l) Ecclesiast. 28. 14. & seqq.

(m) Div. Bernard.

(n) Pers. satyr. 1.

(o) Brasim. in Adag. Noscere ipsum, pag. 506. Horat. lib. 1. satyr. 3. ibi: *Denique te ipsum concute, &c.*

(p) Senec. epist. 77.

(q) Velle Patercul. lib. 2.

(r) Sapient. 5.

(s) Tacit. lib. 13. Ann. & in Dial. de Oratore.

(t) Homer. Iliad. 7.

Et M. Tullius inquit: *In omnibus consultationibus, usque gratiam spectandum, neque odia existimo; sed eam unquamque dicere sententiam debere, quam ipse optimam censeat.*

47 Unde & illa Octavi Augusti laus apud Suetonium (u), quod ipsi in Senatu verba facienti, dictum fuit: *Non intellexi; & ab alio, Contradicere tibi, si locum haberem.* Et quod interdum ob immodicas altercationes disceptantium, è Curia per iram se proripienti, quidam ingesserunt, *Licere oportet Senatoribus de Republica loqui.* Quibus ille respondit: *Sum quemque judicium habere.* Neque idèò libertas, aut contumacia cuiquam fraudi fuit.

48 Et apud omnes benè sentientes, Persarum illa lex huic contraria, ut iniqua, & stulta damnata fuit, quæ, ut Ælianus (x), post alios Historicos, memorat, flagris cædi jubebat eos, qui in consiliis aliquid Regis voluntati contrarium dixissent. Et Domitiani Tyrannis, & insolentia, sub cujus Imperio in rogandis sententiis nemo, Plinio Juniore (y) testante, loqui vel hiscere audebat, præter miseros illos, qui primi interrogantur, ita ut unus ille solus diceret, censeret, mandaret, quod sequerentur omnes.

49 Ubi enim liberas esse oportet Consultorum sententias, omnis metus, atque respectus, exulare debet, alioqui frustra quæras, ac deliberes, præsertim apud Principem, in cujus promotionem, vel metu cessante, plerumque sententiæ consiliariorum inclinant, ut copiosissimè Janus Gruterus (z) ostendit, & Quintus Curtius (a) insinuat, dum de Darii Consiliariis sermonem habens: *Diu (inquit) nemo quid sentiret ausus est dicere, incerta Regis voluntate; & nebulo ille Gn. Piso apud Tacitum (b), qui coram Tiberio suffragium laturus, non erubuit vestigia morientis libertatis manifestare, sic oras: Quo loco censebis Cæsar? Si primus, habeo quod sequar, si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam.*

50 Qua de causa, vel ipse idem Tiberius, quamvis tyrannidis amicus, hoc adulationis studium in primariis Reipublicæ Romanæ viris detestabatur, adeoque indignè ferebat, ut referente eodem Tacito (c): *Quoties curia egrederetur, Fræcis verbis in hanc modum eloqui solitus esset, à Homines, ad servitutem paratos, sive à togata mancipi: scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projecte servientium patientiæ tadebat.* Ipseque idem (d) Tacitus, Nervæ, & Trajani tempora, ex rara felicitate laudat: *Quòd in illis, & sentire, quæ velis, & quæ sentias dicere licuit.*

51 Ad eademque ipsa respiciens Plinius Junior (e), & Domitiani temporibus contraponens, Trajanum extollit, sub quo, inquit: *Interrogavit quisque quod placuit, dissentire, discedere, & copiam judicii sui Reipublicæ facere, tutum fuit. Consulti omnes, atque etiam dinumerati sumus, vicitque sententia non prima, sed melior.* Et iterum alio (f) in loco, eadem contrapositione utens, sub Domitiano se *Curiam trepidam, linguem vidisse (ait) cum dicere quod velles periculosum; quod nolles, miserum esset. Quam Senatus, aut ad otium summum, aut ad summum nefas vocaretur, & modò ludibrio, modò dolori retentus, nunquam seria, sæpè tristitia censeret, Breve tempus (scilicet sub Trojano) nam tanto brevius omne quanto felicius, quo libet scire quid scimus, libet exercere quod sumus.*

52 Cassiodorus (g) quoque, sub Athalarici nomine, Tolonicum laudat, quòd cum ipsius avo à Consiliis fuisset, sæpè in illis ei contrarius existeret, & ipsum pariter avum, quòd hoc patienter tolerabat. Ejus verba sunt hæc: *Amasti in audiendo patientiam, in suggestione veritatem; sæpè quæ ad eum falsò pervenerant, recti studio corrigebas, & quod rarum confidentiæ genus est interdum resistebas contra vota Principis, sed pro opinione Rectoris. Patiebatur enim invictus ille præliis, pro sua fama superari, & dulcis erat justo Principi, rationabilis contrarietas obsequentis.*

53 Possemque facillè plura alia tum Principum, tum Senatorum hanc libertatem, & veritatem in dicendis sententiis amantium, timentium, vel impendentium, exempla referre, nisi longè multa, vel ex solo Tacito colligi possent, & jam plura ad saturitatem à Jano Langlæo (h) congesta reperiantur. Inter quæ illud Crispi Senatoris, à Juvenali meritò reprehensi, qui ad longam usque senectutem pervenit, numquam quicquam (ut & hodie multi, proh dolor facere solent) etiam contra animi sui sententiam proferre audent, nisi quod Principibus gratum, & sibi expediens esse censeret, Juvenalis (i) verba sunt hæc:

*— Venit & Crispi jucunda senectus
Ille igitur nunquam dixerit brachia contra*

Oo

(u) Sueton. in Oct. cap. 54.

(x) Ælian. lib. 12. de var. hist. cap. 52.

(y) Plin. in Panegir.

(z) Gruter. in notis ad Tacit. ann. 1.

(a) Q. Curtius lib. 3.

(b) Tacit. 1. Annal.

(c) Idem Tacit. 3. Annal.

(d) Idem lib. 1. hist. in princip.

(e) Plin. in Panegyrr.

(f) Idem Plin. lib. 8. epist. 14. ad Arist.

(g) Cassiodor. lib. 8. epist. 9.

(h) Lamglæus lib. 7. semest. cap. 6.

(i) Juven. satyr. 4.

II-

Torrentem: ne civis erat, qui liberè posset
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.
Sic multas hyenes, atque octogesima vidit
Solstitia, his armis, illa quoque tatus in aula.

54 Longè planè aliter ac M. Cato apud Suetonium (k), Scaevola apud Brissonium (l), Valerius Messalla apud Tacitum (m), Q. Capitolinus apud Livium (n), quos nec Julii Casaris, nec Syllæ, nec Tiberii, nec Populi graves comminationes perducere potuerunt, ut in his quæ ad Rempublicam pertinerent, consilio nisi suo uterentur, vel cum periculo offensionis. Quibus non possum non Helvidium Priscum adjicere, summè ob constantiam in ejusdem veritatis, & libertatis ardore, quam Græci Parresiam dicunt, à Cornelio Tacito (o), & Plinio Juniore (p) laudatum, & tandem à Vespasiano interfici jussum, licèt statim, irritò tamen voto, ut Suetonius (q) narrat, illum servare voluerit. Inter cujus hæc de causa altercationes, notabilis, & scitu digna est illa, quæ ab Arriano (r) his verbis refertur: *Hic cum ad eum Imperator Vespasianus dixisset, ne in Senatum amplius veniret. Penes te est, respondit, ne me Senatorem patiaris, quamdiu autem me loco non moves, est in Curia mihi veniendum. Age, at ingressus taceo, ait Imperator. Ne me roga, & tacebo. At est mihi rogandum; & mihi dicendum, quod putavero rectum. Verum si dixeris, occidam te. Quando ego dixi me immortalen esse? Tu tuum facies, Ego meum. Tuum est occidere, meum mori, non tremem. Tuam relegare, meum exire non tristem.*

55 Hæc iste immortalis Heros, cui pares, licèt paucos reperiam, plurimos opto, qui vel hoc exemplo discant: *Nulla magis omnibus displicere, quam quæ sic frant, tanquam omnibus placeant*; ut Plinius Junior (s), hac de re agens, subjecit. Et melius esse (t) pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione recipere beneficium, atque, ut Ecclesiasticus (u) monet: *Non esse verbum retinendum in tempore salutis, neque abscondendam Sapientiam in decore suo.*

56 Inde Sapiens ille Rex Aragonum Alfonsus, referente Panormitano (x) illos sibi, Consiliarios carissimos esse dicebat, qui eum non magis timerent, quam Deum. Et Fridericus Imperator, Beyerlinchio (y), & aliis (z) narrantibus, valdè exoptasse fertur, ut sui Consilii in ingressu Palatii simulationem, & dissimulationem deponeret. Et Cardinalis Paleotus (a) hoc præstari debere docet, & multis testimoniis illustrat, etiam si Consiliarius sciat, se in sua sententia solum permansurum.

57 Præsertim cum experientia ostendat, & rectissimè à Plinio Juniore (b) tradatur, quod *Licèt fides in presentia, quibus resistit, offendere videatur, deinde illis ipsis suscipitur, laudaturque.* Odium quippè, quod veritas parit, non est durabile, cum non tam partus, quam abortus sit, ut Divus Augustinus (c) à nostro Salazario (d) laudatus, & explicatus, sapientissimè docuit, apud quem plura, qui velit, de vi, & effectibus veritatis legere poterit.

58 Quam tamen (ut jam receptui hac in commentatione canamus) prudentes Senatores, & Consiliiarii, ceterique, qui in Regum aulis ministrant, ita eis proponere, suadereque debent, ne nimia libertate, aut dicacitate, quos flectere nituntur, infringant, atque aures, & animos, quos lenire cupiunt, exasperent. Hephastionem imitantes, de quo Q. Curtius (e) enarrat, ita Magno Alexandro carissimum fuisse, ut libertatis in eo admonendo alius jus non haberet: *Quod tamen ita usurpabat, ut magis à Rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur.*

Exasperat enim libera, aut immodesta correctio, & ut Seneca (f) consulit: *Liberius emendare, non admonere, sed offendere est, nec tantum videndum est, an quod dicitur verum sit? Sed etiam, an veri patiens, cui dicitur? Cui consonans Tacitus (g) inquit, Contumaciis loqui, non est tutum apud aures superbas, & offensionem proniores.*

59 Hincque sunt (h), qui existiment, orationes Panegiricas Principibus factas, ut leniter nimirum in eorum animos veritas influeret, & sub laudum, gratiarumve agendarum prætextu, eis ob oculos recognoscendum proponeretur, quid orbis à tam sublimibus dignitatibus expectaret. Non est


(k) Sueton. in Jul. Cæsar. cap. 14.
(l) Brisson. 2. antiq. cap. 1.
(m) Tacit. 1. Annal.
(n) Livius lib. 3.
(o) Tacit. lib. 16. Annal. & init. lib. 4. Hist. Juven. satyr. 5.
(p) Plin. Jun. lib. 4. epist. 21.
(q) Sueton. in Vespas. cap. 13.
(r) Arrian. in dissert. Epist. lib. 1. cap. 11.
(s) Plin. Jun. in Paneg.
(t) C. nemo peritorum 81. 11. quest. 3. Ego 2. tom. lib. 4. cap. 12. ex num. 30.
(u) Ecclesiast. cap. 4.
(x) Panorm. lib. 3.
(y) Beyerlinch. in Apoph. pag. 158.
(z) Camer. 2. cent. pag. 202.
(a) Paleot. de sacro Consist. 3. part. quest. 7. pag. 128.
(b) Plin. Jun. epist. 9. lib. 2.
(c) Div. August. lib. 10. Confess. cap. 23.
(d) Salaz. in Proverb. cap. 8. num. 28. cap. 16. num. 56. & cap. 10. ex num. 69.
(e) Curt. lib. 3. cap. 24.
(f) Senec. epist. 94.
(g) Tacit. 4. Annal.
(h) Schild. exerc. in xv. ann. Plin. in Paneg. ad Trajanum.

est enim, ut præclare Tacitus (i) monet: *Contumacia, neque inani jactatione libertatis, fama fatumque provocatum, quin potius, ut statim sub soceri sui Agricola (k) exemplo demonstrat: Scire debent, quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse: obsequiumque, ac modestiam, si industria, ac vigor adsint, eò laudis excedere, quo plerique per obrupta, sed in nullum rei post usum, ambitiosa morte inclaruerunt.*

60 Certè enim apud eundem Tacitum (l) Pæto Traseæ rigidæ honestatis exactio: *Qua cunctas adulationes transmisit, sibi causam periculi fecit, & exitium Senatui, ceteris initium libertatis non præbuit.* Prudentiusque, eodem Auctore testante (m), M. Lepidus, & Lucius Piso se habuisse videntur. Quorum ille: *Pleraque ab sævis adulationibus aliorum in melius deflectit, neque tamen temperantis egebat, cum æquabili auctoritate, & gratia apud Tiberium vigerit.* Ille (n), *Nullius servolis sententiæ spontè auctor, quoties necessitas ingrueret, sapienter moderabatur.*

Unde Philostratus (o) Dionis orationes ex eo valdè commendat, quòd quoties impotentes, ac insolentes Respublicas increpat, neque contumeliosus, neque importunus videtur, sed perinde earum, ac equorum ferociam fræno potius, quam flagello compescere. Et Divus Joannes Chrysostomus (p) inquit: *Admonitiones laudationibus temperandæ sunt: nam hoc modo in bonam partem accipiuntur, cum eos, quos monemus, ad suam ipsorum imitationem provocamus.*

61 Divus quoque Isidorus Pelusiota (q) satis longam scripsit epistolam de modo in corrigendis Principibus adhibendo, quam divini verbi concionatoribus legendam suadeo, qui aliquando illum imprudenter, ne dicam impudenter, excedunt, & quos sanare intendebant, deteriores efficiunt, ut benè Chilensis Episcopus (r) animadvertit, post plures alios, qui de eodem ministerio agentes, idem pluribus probant, quos in unum Ego alibi (s) non sine diligentia congressi, & leges Partitarum, quæ Episcopos in hoc parum cautos: *Feridores de palabra*, hoc est, *Percutientes*, sive *Percussores in verbis*, appellant, Quorum imprudentia novissimè, & eruditissimè carpit Noster Nissenus (t) Inter alia, has Principum reprehensiones Pillulis Capitalibus similes faciens, quæ auratæ præberi ægotantibus debent, & aromatibus abundare, & locum Divi Chrysostomi (u) eleganter expendens, qui de Samuelis concione ad populum, postquam Saulem in Regem unxerat (x) sermonem faciens, idè inquit: *Se ipsam in ea Samuelem purgare voluisse, non ut plausum, & gloriam captaret, sed quia Regem creaturus erat, sub purgationis specie eum erudire voluit, ut lenem se, ac placidum præbeat.* Habent quippè Reges guttam, sive podagram in aure, ut idem Auctor ex Clunacensi subjungit. Ideoque blandè remedia, quæ ad hunc morbum curandum destinantur, adhiberi debent. Ita tamen, ut remedia sint, & non lenocinia, quibus frequentius Aulæ Regum abundant, ut in sequenti commentatione dicemus; & Petrus Blesensis (y) sic eleganter scriptum reliquit: *Frequenter in Palatiis conversantur, qui mollibus, & delicatis avibus Principum etiam in turpibus blando lenocinantur applausu. Pomentes cervicalia sub capite, & plumaria sub omni cubitu manus. Vix invenitur in Curia, qui non vendat oleum, qui caput peccatoris oleo non impinguet.*



Oo 2

EM-

(i) Tacit. pag. 92.
(k) Idem in Agricol.
(l) Idem 14. Annal.
(m) Idem 4. Annal.
(n) Idem Annal. 6.
(o) Philost. de vitis Sophist. lib. 2.
(p) Div. Chrysost. hom. 8. ad Philipp.
(q) D. Pelus. lib. 5. epist. 145.
(r) Villartoel in Judic. cap. 18. num. 9. pag. 620.
(s) Ego 2. tom. lib. 3. cap. 27. ex num. 62.
(t) Fr. Didac. Nyssen. in lib. 4. de laud. Joann. Evang. cap. 7. ex pag. 127.
(u) Div. Chrysost. in 2. ad Corint. 11. homil. 24.
(x) 1. Regum 12.
(y) Blesens. epist. 113.